


Andreas Daniel Habichhorst Johannes Vorast

Partis Primae Illustriorum Jsaiae Locorum Dissertatio Exegetica XXIII. & Ult. De Radice Iischai, In Signum Populorum Ad Illam Concursum Stante, Eiusque Reque Summe Gloriosa, Ut Et De Fontibus Salutis Ex Quibus Aquae Cum Gaudio Hauriuntur, Ex Jsai. XI. 10. & c. XII.3

Rostochii: Richelius, 1692

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733809014>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 30.Apr. 1692

Vorast, Joh.

Habil. Vorst, Andreas D / A

PARTIS PRIMÆ
ILLUSTRIORUM JSAIÆ LOCORUM
DISSERTATIO EXEGETICA XXIII. & ULT.

De

RADICE

JISCHAI,

IN SIGNUM POPULORUM
AD ILLAM CONCURSORUM STANTE,

EJUSQUE

REQVIE SUMMÆ GLORIOSA,

UT ET DE

FONTIBUS SALUTIS

EX QVIBUS AQVÆ CUM GAUDIO HAURIUNTUR,

Ex JSAL. XI. 10. & c. XII. 3.

Quam

Auxilio DEI-Hominis & Ven. FCris THEOL. consensu,

PRÆSIDE

ANDREA DANIELE

HABICHHORSTIO,

Doctore & Professore Theologo Ordinario,

Consistoriiqve Duc. Mekelb. Assessore ac Collegii

Professorum Ducalium Seniore,

ad d. 30. Apr. A. C. 1692. in Aud. Majori inclute Universitatis Rostoch.

ad placidam sententiarum collationem proponit

JOHANNES VORAST, Malch. Mekelb.

ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Senat. Typogr.

VIRIS

*Nobilissimis, adm. Reverendis, Amplissimis, Clarissimis, Prudentissimis,
Literatissimis & Spectatissimis,*

DN. JOACHIMO JARMERO,

*Inclutæ Urbis Rostochii, Mekelburgensium Metropolis, Senatori & Camerario
longè meritissimo, Scholarchæ gravissimo,*

DN. COGNATO, Patrono Magno, Hospiti & Benefactori observandissimo,

DN. SAMUELI LÜTKEMANNO,

Ecclesiæ Malchin. Pastori vigilantissimo, & Synodi ejus Præposito æstimatissimo,

DN. CONRADO BERENSI

Ibidem Ecclesiæ laudatissimo,

Dominis Patronis & Fautoribus singulariter venerandis,

DN. JOHANNI FABRICIO,

Ecclesiæ Dargunensis Pastori dexterimo,

*Dn. Præceptori quondam in Schola Patria insigniter de me merito,
Patrono æternùm colendo,*

ut &

DN. DANIELI GRYPHANO,

Civitatis Malchinensis CONSULI gravissimo,

DN. HINRICO Müllern /

DN. JOHANNI Sparwart /

DN. MATTHIÆ Zimmermann /

DN. HINRICO Britzbaur /

DN. DANIELI Dobberzin /

DN. LAURENTIO Goldschmid /

nec non

DN. DANIELI Michael / Not. Publ. Cæs. & Advocato

simulqve Oeconomix Ecclesiasticæ ibid. Præfecto Ducali fidelissimo,

DN. CHRISTIANO FRIDERICO FABRICIO,

Ejusdem Civ. Secretario solertissimo,

Dominis Patrono, Fautoribus & Amicis honoratissimis,

*Dissertationem hanc, gratitudinis, observantiz & affectus contestandi
ergo, cum voto radicationis in Christo Radice Jischai & fonte
salutis, officiosissimè inscribit offertqve*

J. VORAST, Resp.

Ejusdem
Civitatis
SENATORIBUS
meritissimis.

ABUSUM LOCORUM JSA. XI. 6. 7. 8. & 9.

quem

*pagellarum angustia nuper exclusit.*DISP.
XXIII.
&
ULT.
PART.
PRIM.

Abusus loci de mirabili luporum cum agnis contubernio v. 6. seqq. conspicitur (1.) apud *Jhudeos*, ita ex h. l. arguentes: *Tempore Messie lupi ceteraque bestie habitabunt cum agnis propriè dictis*; cum verò id nondum fuerit impletum, quis credat, *Messiam jam venisse & Jesum Nazarenum esse verum Messiam?* (2.) apud *Hieronimum* in *Isai. II.* (cujus ceteroqvi interpretationem ad hunc ipsum de mirabili contubernio locum §. 3. decenter laudavimus) dum ex h. l. concludit, *non omnem scriptura locum admittere sensum literalem, quia presens illum non admittit, cum falsum juxta literam sit, lupum cum agnis esse habitaturum.* Sed Resp. 1. *Jhudeis*, perperam illos verba loci v. 6. & seqq. propriè & corporaliter juxta literam de lupis agnisqve brutis & similibus accipere, & mutationem naturæ brutorum hîc subintelligere, cum impropriè s. figuratè & spiritualiter sint accipienda, & mutatio animorum hætenus ferocium & diffidentium subintelligenda, ceu pluribus in ipsa Disp. 21. ad h. l. §. 2. & seqq. est ostensum. Resp. (2.) *Hieronimo*, minimè illud, sed hoc tantum ex genuina loci hujus interpretatione concludi posse, quod *non omnis scriptura locus admittat sensum literalem Grammaticum s. proprium s. strictè dictum*, qui scil. ex verbis oritur in propria & nativa significatione juxta intentionem Spiritus S. acceptis, & talem h. l. non dandum esse ex dicta jam disp. §. 2. & 4. patescit. Præter illum enim datur quoque *literals sensus Rhetoricus s. figuratus s. latè dictus*, qui proximè intenditur à Spiritu S. verbis impropriè acceptis, qualis h. l. dandus. Ss

§. 2.

ILLUSTRIORUM ISAIAE LOCORUM

§. 2. Deinde *Abusus loci de cognitionis Domini effectu sc. noxa omnis & violentia in Ecclesia N. T. cessatione*, Isai. XI. 9. conspicitur tum apud Socinianos, tum ap. *Anabaptistas*, ex h. l. arguentes, *Magistratui in N. T. non licere 1. contra facinorosos gladium fringere*, nec 2. *bella gerere*, cum juxta h. l. nemo in universa Christi Ecclesia alteri sit nociturus, sive gladio nocente s. per-dente usus. Sed Resp. ex Disp. præced. 22. ad h. l. §. 6. & 7. ad (1.) hic non agi de *statu regiminis politici*, in quo certè Apostolus Magistratui gladium contra facinorosos concedit, Rom. 13. 4. sed de *statu Ecclesiastico* & qualitate subditorum regni Messiaë, qui quatenus sunt Christiani, ex lupis facti oves Christi, à bestiali noxa & cæde sunt alieni. Ad (2.) hîc prohiberi quidem violenta media in propagando Messiaë regno, & prædici Christianos, *quæ tales*, iis non esse usuros ad nocendum & perdendum; inde verò non sequitur, militiam simpliciter esse interdicitam & quidem Christianis quatenus sunt vel Magistratus, vel subditi à magistratu ad bellum vocati licitum, contra invasores s. prædones & latrones publicos gerendum.

LOC. V. ISAI. XI. 10.

De

*Radice Jischai, in signum populorum ad illam concursurorum
stante, ejusque requie summè gloriosa.*

Post singularem illam animorum antea diffidentium consensionem, sub regno Messiaë conspicuam, & sub schema-te *mirabilis contubernii luporum cum agnis* notanter insinuatam, & à plenitudine cognitionis Domini Messiaë excitatam, simulque singulari effectu cessationis noxa & violentia in Ecclesia N. T. illustratam (quæ præcedentium proximè Dissertationum argumenta fuerunt) immediatè Propheta noster ad descriptionem *dilatationis regni Messiaë, ad gentes perferendi*, procedit,

dit, utc aufam dicti jam mirabilis contubernii luporum cum
 agnis (quam certè simul vocationem esse gentium per Messiam,
 ad cujus personam hîc redit, innuere videtur) ulterius decla-
 ret, his quidem verbis (juxta versionem Pagnini) : *Et erit in
 die illo, Radix Jischaï, quæ stabit in vexillum populorum, illam gen-
 tes quarent, & erit requies ejus gloria.* In quibus cum Mes-
 sias nomine *Radicis Jischaï* nobis sistatur, quem hæcenus Pro-
 pheta sub initîu capitis appellaverat *Nezer* s. *Surculum ex Radi-
 cibus Jischaï*, quæ appellationes sibi contravenire videntur, præ-
 tereaq; tanti hunc locû Spiritus S. fecerit, ut ipsum in materia de
vocatione gentium ad Rom. 15. 12. allegaverit, non abs re fuerit,
 illummet paulò enixius & sveltâ nobis methodo considerare.

§. 2. Pro sensu ejus per vestigando, tria hîc evolvere
 oportebit 1. *Temporis momentum*, ad quod vaticinium hoc de
Radice Jischaï respicit, (2.) vaticinii *subjectum*, quod dicitur *Ra-
 dix Jischaï, stans in signum populorum* (3.) *predicatum geminum*
 sc. tum *gentium concursus*, tum *requies gloriosa*. Primum qui-
 dem scil. *temporis momentum*, initialibus his notatur verbis:
 יהיה ביום ההוא i. e. *Et erit* (etiam erit) *in die illo* s. *illo ipso*
tempore (quæ verba per accentum Regem *Sakepbkatonum*, qui
 habetur in יהוה i. e. *illo ipso*, à seqq. distingvuntur, adeoque
 sic legi non possunt: *Et erit in die illo Radicis Jischaï* i. e. *Messia*,
 prout statuit *Musculus* in *Comment. h. l. p. 218.* sed propter
 accentum jam dictum in יהוה cujus potestatem is fortè co-
 gnitam non habuit, lectio in verbis initialibus : *etiam erit in
 die illo ipso*, paulisper est sistenda) verum non est, quod de
temporis momento prolixè commentemur & quæstiones ope-
 rosè formemus, cum citata jam verba digito quasi indice si-
 gnificent, quorsum respiciant, sc. ad idem illud tempus, ad
 eosdem ipsos dies, quibus juxta præcedentes hujus capitis
versus terra, per predicationem Evangelii, cognitione Domini Messie

ILLUSTRIORUM ISAÏÆ LOCORUM

est repleta, quibus lupi cum agnis & pardi cum badis cohabitauerunt, quibus puer parvus vitulos ac leones & pingve pecus una duxit, quibus ex radicibus Jischai surculus Messias est egressus, superque illo immensâ unctione Spiritus Domini requiebit. &c. Hæc verò omnia erant futura *in diebus Messiaë*; quanquam si *Grotium*, insignem Prophetiæ hujus depravatorem, interrogaverimus, is contra responsurus est, hæc initialia loci verba non Messiaë sed *Chiskia tempora* respicere: Siquidem ille non tantum per *Surculum* istum, *ex radicibus Jischai* processurum & præced. v. i. nominatum, sed & per hanc *Radicem Jischai*, quæ *in signum stare populorum* hîc dicitur, perperam intelligit *Chiskiam* dicens, ad hunc futurum fuisse magnum gentium concursum & multorum ex Israelitis decem tribuum, qui ad incursus *Tiglath Phalassaris & Salmanassaris* in varias se terras receperant, quorum reversio & cum *Chiskia armorum viriumq; conjunctio ac vicinorum hostium debellatio* describatur v. ii. & seqq. Cui tamen obstant (1.) *prædicata* longè magnificentiora, quàm ut *Chiskiaë* queant convenire (2.) *sententia prisca Jhudeorum Scholæ*, quam *Targum Jonatham* exponit, dum non tantum supra v. i. *Surculum ex radicibus Jischai* interpretatur *Regem de filiis Jischai & Messiam de filiis filiorum ejus*: sed & h. l. *Radicem Jischai* reddit per *filiam filiorum Jischai*, adeoque eundem Regem Messiam quem & v. i. dixerat *filiam filiorum Jischai*, intelligit, cui suffragatur *Rasbi* cum aliis quibusdam Rabbinis (3.) *historia*, quæ nihil de tanta fugitivorum reverfione ad *Chiskiam & armorum* cum eodem consociatione consignavit (4.) *allegatio Paulina* ad Rom. 15. 12. quæ locum hunc de vocatione gentium per Christum interpretatur. Proinde relicto temporis momento sine ambagibus ad primaria statim capita, sc. ad *subjectum & prædicata* loci consideranda procedemus.

§. 3. Ad II. ergo sc. *subjectum* vaticinii, his descriptum
ver-

verbis : **שרש ישי אשר עמר לנס עמים** i.e. *Radix Jischai, quæ
 stat in signum (vexillum) populorum, quod attinet, quatuor po-
 tissimum disputantur, 1. quæritur, quodnam sit h.l. prædica-
 tionis subjectum? an Radix Jischai, an vero gentes requirentes?
 (2.) an Radix Jischai hic se habeat ut terminus absolutus s. ut no-
 minativus absolutè positus? an verò habeat rationem termini
 respectivi, vel ad aliud referatur, ita ut Nezer s. surculus intelliga-
 tur huic Radici Jischai insitens vel de radice hac egrediens? (3.)
 quo sensu Messias hic dicatur Radix Jischai? annon hoc no-
 mine contradicatur versui 1. præced. ubi is dicebatur Surculus
 ex Radicibus Jischai? vel an nomen **שרש** aliàs radicem notans,
 hic pro surculo abusive sumatur, qui ex radice pullulat, ita ut hoc
 nomen coincidat cum nomine præcedentis versus primi? (4.)
 quid sibi velit descriptio Radicis hujus, quæ dicitur illa stans in si-
 gnum populorum? Ad (1.) quæstionem, an Radix Jischai, an
 verò gentes requirentes sint prædicationis subjectum? Ju-
 nius quidem ac Tremellius videntur respondere affirmando
 posterius, dum ita prius loci membrum vertunt: *Erit etiam
 tempore illo, ut ad eum, qui è radice Jischai stabit in signum popu-
 lorum, gentes consulturæ veniant*; clarius tamen id Batavi in
 versione sua exprimunt: *De Heydenen sullen na den Wor-
 tel Isai/ de staen sal tot een Baniere der Volcker/vragen. Ce-
 terum quid opus est in prædicato demum quærare subjectum
 vel nominativum, cum is in initio statim appareat? Non enim
 in fonte sic legitur, prout Batavi voces reddiderunt: **גוים אל
 שרש ישי שהוא עמר לנס עמים ידרשו** i. e. *gentes radicem Ji-
 schai, quæ stabit in signum populorum, requirent*; sed h. m. **גוים
 ההוא שרש ישי אשר עמר לנס עמים אליו גוים**
 ידרשו quæ, quo minus (salvis tamen paulò post dicendis) sic
 resolvantur: *Erit etiam in die illo ipso, Radix Jischai, quæ stat
 in signum populorum (sc. est illa) quam gentes consulent, quid*
 obstet**

ILLUSTRIORUM ISAIAE LOCORUM

obstet non videmus. Ex hac a. resolutione, quæ ex ipso fuit fonte patescit, subjectum s. nominativum non demum in prædicato esse quærendum, sed ab initio statim dandum, adeoque *Radice[m] Jischai* subjectum prædicationis hîc esse. Suffragatur *B. Varenius* in *Comment. h. l. p. 337.* Quod ut magis elucescat, attendendum hîc erit ad distinctiones vocum, quas nobis accentus in fonte signarunt & quæstio sequens revelabit.

§. 4. Quæritur enim (2.) an *Radix Jischai* hîc se habeat ut *terminus absolutus* s. ut nominativus absolutè positus, ita ut, qui præced. versu 1. dicebatur *Nezer s. Surculus è radicibus Jischai*, hic jam dicatur *ipsa Radix Jischai*? an verò habeat *rationem termini respectivi*, & ad aliud referatur, ita ut *Nezer* ille intelligatur *huic Radici Jischai insisilens* vel *de radice* hac egrediens? Posteriores certe interpretationem amplectuntur *Junius* & *Tremellius*, in versione quam paulò ante jam vidimus quæque sic habebat: *erit etiam tempore illo, ut ad eum, QUI È RADICE JISCHAI STABIT in signum populorum, gentes consultura veniant.* Alius juxta *Polum* in *Synopf. Crit. h. l.* ita: *Qui egreditur de radice Jischai, qui stabit &c.* Nos verò *Radice[m] Jischai* hîc *rationem termini* habere non *respectivi* sed *absoluti* censemus. Nam (1.) nullum hîc *affixum* pronominale, quod ad hanc *Radice[m] Jischai* respiciat e. c. אשר עמר לו לנס עמי h. e. *qui stabit in illa in signum populorum*, nec *prefixum* quod *de* vel *è* significet e. c. אשר שרש *è radice*, in fonte apparet; sed *absolutè* & in casu recto dicitur אשר שרש h. e. *Radix Jischai* (2.) similiter versio רדף LXX. & ex eadem *Apostolus Rom. 15. 12.* absolutè & in casu recto reddunt: η ρίζα τῆς ἰεσσαί i. e. *radix Jesse*; quomodo & *Lutherus* tam hîc quam illic in *Nominativo* vertit: *Die Wurzel Jesse.* (3.) Sicut h. l. *Radix Jischai*, ita & alibi absolutè vocatur η ρίζα Δαβιδ, i. e. *radix Davidis*, vid. *Apoc. 5. 5. c. 22. 16.* (4.) Accentus *Dux Rbbia* in voce *Jischai* absolutum & *emphaticum*

ticum arguit *Radix Jischai* positum, siquidem per illum met accentu *Radix Jischai* in sensu diviso à prædicato ponitur, h. m. *Radix Jischai, quæ stat in signum populorum, eam gentes requirunt.* Suffecisset dicere: *Radix Jischai, quæ stat in signum populorum, gentes requirunt;* Verùm ut positus magis esset emphaticus, hic *Radix Jischai* ut Nominativus & subjectum enunciationis absolute se habet & per accentum Rbhia, (ceu dictum) in sensu diviso à prædicato ponitur, quod in scripturis non infreqvens est, ceu loca jam citanda probabunt, in quibus adeo Nominativus, absolute & ut subjectum prædicationis in sensu diviso à prædicato positus, per quod attinet explicandus est. e. c. Pf. 57. 5. בני אדם שניהם הניר והציון h. e. *Filii hominis, (hic idem accentus Dux Rbhia) dentes ipsorum sunt hasta & sagitta.* q. d. homines quod attinet, dentes ipsorum sunt hasta & c. Sic Pf. 11. 4. יהור בשמים כסאו i. e. *Dominus, in caelis sedes ejus.* Hof. 12. 7. *Mercator, in manus ejus sunt balances doli.* Hof. 9. 11. *Ephrajim, ut avis avolat gloria illorum* & c. Conf. *Wasmut. Gramm.* in App. 2. de idiotism. p. 289. Ejusdem *Instit. Accent.* p. 55. 56. item *Vindic.* part. 2. c. 1. p. 223. Unde & locus noster juxta hanc regulam vi accentuationis ita est explicandus: *Et erit in die illo, quod ad Radicem Jischai attinet, quæ stabit in signum populorum, illam gentes consulent.* Similiter Piscator exponit: *Nam fiet tempore illo, quod ad radicem Jischai attinet, quæ stabit in vexillum populorum, fiet inquam, ut eam gentes consulant.*

§. 5. Distinctis sic juxta fontem verbis, & probato *Radix Jischai* hic rationem termini habere absoluti, jam ulterius & (3.) quæritur, quoniam per *Radix Jischai* non *Patres*, unde *Jischai* prognatus est, sed *Messias* intelligitur (uti *Musculus* in *Comment. h. l.* p. 218. rectè loquitur) quo ergo sensu *Messias* dicatur *Radix Jischai*? & annon hoc nomine contradicatur verit

1. præ-

ILLUSTRIORUM ISAIÆ LOCORUM

1. præced. ubi is *surculus ex radicibus Jischai* dicebatur? vel, an nomen שרש alias radicem notans, *abusivè* hîc pro surculo fumatur, qvi ex radice pullulat, ita ut hoc nomen coincidat cum nomine præcedentis versus primi? *Sanctius* hîc: *mirum est*, inquit, *Christum radicem Jischai dici, cum antè ejus germen vel virga ex radicibus Jischai dicatur.* Ceterùm mirari disinet, qvi genuinum hujus nominis sensum, jam in seqq. exponendum, percipiet. Lubet tamen aliorum priùs sententias audire. Quidam enim distinctum hoc nomen statuunt à nomine præcedentis versus 1. & Christum hîc vocari *radicem Jischai* propter divinitatem ejus, uti præced. 1. dicebatur *virga s. surculus ex radicibus Jischai* propter humanitatem. Quam verò sententiam *Anglicana annotationes* his refutare verbis conantur: *Verùm Christus hîc non consideratur tanquam radix fideles portans, uti Rom. 11. 17. sed tanquam radix ex Isai. v. 1.* Alii ergo ut *Anglic. Sanctius, Forer, Bootius &c.* nomen שרש quod alias radicem notat, *abusivè* hîc accipi putant pro *surculo*, qvi ex radice pullulat, ut h. 1. *radix Jischai & surculus ex radicibus Jischai* idem fuerit nomen, idqve probat *Bootius* in animadv. sacr. 1. 5. 5. 36. (1.) ex præced. v. 1. tanquam contextu (2.) ex alio Isaïæ loco sc. c. 53. 2. qvi sic habet: ויער כיונק לפניו וכשרש מארץ צורה h. e. *& ascendet ceu virgultum coram ipso & sicut radix ex terra arida*, ubi vocem שרש non pro *radice* sed *abusivè* pro *surculo* s. virgulto sumi contendunt, addita ratione (α) nam si שרש notaret ibi radicem, non dixisset Propheta מארץ צורה h. e. *sicut radix ex terra* ascendit: cum radices è terra non prodire sed intra terram delitescere soleant; sed dixisset במארץ in terra (β) cum eodem loco commata sint ἀναστρέψω & sententia geminata, שרש יונק נד responds יונק נד quod *stolonem* vel plantam significat, adeoque & שרש h. e. *radix*, *abusivè* pro *planta* s. *surculo* sumitur (3.) probant id ex *Hos. 14. 10.* ubi dicitur: *germinabis*

nabit sicut lilium & erumpet radix ejus. Suffragatur his Calvinus Comment. in Isai. h. l. p. III. & ex eo Marloratus Comment. in Isai. h. l. p. 109. a. dicentes, *Prophetam hic eandem similitudinem repetere, quam pro initio capitis assumerat, radices scil. vel furculi ex mutilo trunco prodeuntis.* Consentit & Kimchius, cui ישרש ישר idem quod נצר משרש ישר censetur. Ceterum de his quid habendum sit, ex dicendis patebit. Sciendum ergo vocem שרש seu שרש h. e. *radix* (per quam שרש ר' שרש h. e. *fluit vita*: radix enim est os plantæ, per quod alimentum attrahit) variè sumi: Præterquam enim quod in sensu proprio notat arboris vel herbe extremitatem, quæ infernè nempe in terra est, Amos i. 9. Job. 14. 8. Isai. 37. 31. c. 40. 24. (1.) *metaphoricè & activè* sumitur radix pro origine & causa rei. Sic avaritia dicitur radix i. e. causa & origo, omnium malorum i Tim. 6. 10. & Seducor falsusq; Doctor vocatur radix proferens fel & absinthium Deut. 29. 18. ad quem locum alludere videtur Apost. ad Ebr. 12. 15. Porro cum crescentes plantæ radicem ex se in terram (uti ramos sursum) projiciant, hinc eadem vox (2.) *metonymicè & passivè* sumta aliquando ipsum notat effectum i. consequens rei s. stirpem aut genus post aliquem relictum. Sic Isai. II. 1. *radices Jischai*, ex quibus Nezer s. furculus h. e. Messias dicitur oriundus, significant stirpem s. genus Jischai: non enim immediatè ex Jischai s. Davide, sed ex stirpe sive posteris ejus, qui radices ibi vocantur, Nezer s. furculus est egressus & natus. Sic Isai. 14. 29. Tandem etiam (3.) sub eadem significatione stirpis nonnunquã *comparativè*, respectu prerogative, radix accipitur pro *principuo quodam ex stirpe*, qui quasi radix totius stirpis & familie, ex quo & post quem qui nascuntur instar ramorum se habent. Sic i Maccab. I. II. Antiochus dicitur radix peccatrix. Et Rom. II. 16. Patriarchæ Abraham &c. ex quibus populus Israeliticus est prognatus & quibuscum DEUS pepigit fœdus, dicuntur ra-

Tt

dix

ILLUSTRIORUM ISAIÆ LOCORUM

dix Jhudæorum. Quo & referri possunt loca Isai. 14. 30. Malach. 4. 1. Ex his collectu jam proclive est, qva ratione Messias h. l. Radix Jischai, & Apoc. 5. 5. c. 22. 16. Radix Davidis appelletur. Scilicet (1.) metaphoricè & activè (2.) metonymicè & passivè (3.) comparativè respectu prærogativæ; quod infra in usu & applicatione loci ad Dominum nostrum Jesum Nazarenū deducetur.

§. 6. Post nomen Radix Jischai, sic à depravationibus liberatum, videnda (4.) etiam *descriptio subjecti* hujus, nempe Radicis Jischai, erit: *אשר עומד לנס עמים* i. e. *qua stat in signum populorum*. Circa quam quæritur (1.) an *populi* respectu signi se habeant *activè*, ut illi sint elevantes signum; an verò *passivè*, ut Radix jam posita in signum objiciatur populis? (2.) *quid sit stare in signum?* (3.) *Annon LXX. & hos sequens Apostolus Rom. 15. 12. in allegatione loci hujus, à fonte discrepent?* Ad quæst. (1.) respondet *Raschi*, affirmando prius, dum verba loci *אשר עומד לנס עמים* i. e. *in signum populorum*, ita resolvit: *להיות עמים מרימים נס להקבץ אליו* h. e. *ut sint populi elevantes signum, quo congregentur ad illum*. At verò violentam hanc resolutionem ipse vocum positus: *stans in signum populorum*, non patitur, sed eandem potius depravationis arguit. Ad quæst. (2.) resp. *metaphoram* quidem subesse, à *signis militaribus* desumptam, ad quæ milites undiquaque catervatim accurrunt, & quorum usus est antiquissimus, siquidem ab ipso DEO unà cum castrorum ordinatione in sanctiori Israelitarum Republ. præscriptus & Num. c. 1. & 2. ut & c. 10. v. 14. 22. 25. descriptus: ibi enim quatuor magnorum castrorum totidemque vexillorum in illis Israelitarum castris ad 4. orbis plagas explicandorum mentio habetur. *Signa* quoque s. *figuras* in illis 4. vexillis fuisse probabile est ex Num. 2. 2. qvalia verò fuerint, definiri nequit; licet Ebræi veteres illa definire & certas imagines literasque in vexillis (quas recenset *B. Varen.* in *Comm. h. l. p. 340.*) definire non dubitarint.

Non

Non tamen signum populorum h. l. videtur concipiendum esse, uti גָּדָל s. *vexillum* in dictis jam Israelitarum castris Num. 2. quæ habuerunt se ut panni ad perticam volantes, sed ut quondam serpens in summitate perticæ in deserto exaltatus, Num. 21. 8. 9. cum Radix hic dicatur stare h. e. erecta esse in signum, uti censet *B. Varen.* l. c. Stetisse verò hoc signum non tantum in *exaltatione crucis*, sed & cum primis in *exaltatione majestatis* & *promulgatione Evangelii* & adhuc stare per *predicationem Evangelii*, hoc quidem sine, ut populi ad illud confluant & sequantur omnes, uti hic loquitur *Musculus* l. c. infra ad *usum loci* & *applicationem* dicetur, & ex immediate seqq. verbis mox elucidandis: *illam gentes requirunt*, patebit. Ad (3.) Resp. LXX. & Apostolum, qui Rom. 15. 12. Græcam τῶν LXX. versionem per συγκατάβασις s. *condescensionem* (conf. supra Disp. 16. ad Isai. 10. 22. 23. §. 10.) allegat, reddendo verba per: $\text{ὃς ἀνίσταται ἀρχαῖς ἐθνῶν}$ i. e. *qui resurget ad imperandum gentibus*, sensum magis quàm verba spectare. Scilicet verbum רָם quod *stare* significat, acceperunt in significatione *surgendi*, & vocem סֵן i. e. *signum*, in sensu *elevationis*, quoniam verbum ejus סָנַן significat *elevare*, & per *elevationem* s. *exaltationem* significari *principatum* censuerunt. Officium enim Christi regium hîc designatur: nam vexillum superioritatis & Dominii signum est, vid. *Glass. Rhet.* S. 1. 7. 161. Dominatur is sceptro verbi, in cordibus fidelium, dominatur in medio inimicorum Psal. 110. 2. Tantùm de subjecto ejusque descriptione.

§. 7. Sequitur III. *Predicatum* idemque geminum. Et prius quidem sc. *consilium* & *confluxus gentium* proponitur verbis $\text{גוֹיִם יִרְרָשׁוּ אֱלֹהֵי}$ quæ Vulg. reddit: *ipsum gentes deprecabuntur*. Pagninuse *illam* (Ar. Mont. ad illam) *gentes quærent*: Luth. nach der werden die Heiden fragen. LXX. & Apostolus ad Rom. 15. 12. $\text{ἐπὶ αὐτῶν ἔλθῃ εὐαγγέλιον}$ h. e. juxta Luth. *auff den werden die Heiden hoffen*. Piscator: *Eum gentes consulunt*. Jun. & Tremell. *ad eum gentes consulti, venient* &c. Quæritur ergo (1.) *quænam ex versionibus præbet?* (2.) *quomodo LXX. & Apostolus ad Rom. 15. 12. eosdem secutus cum fonte hic conveniant?* (3.) *quid quoad rem his verbis innuatur?* Ad (1.) resp. verbum quidem Ebr. שָׁרַר quando Accusativum s. absolutè s. per particulam אֵל regit, obtinere significationem *quærendi sollicitè*, vel *inquirendi religiosè verum DEUM*, conf. 2. Chron. 12. 14. c. 15. 2. 4. c. 19. 3. c. 20. 3. c. 22. 9. &c. quando autem cum præpositione אֶל ad, uti h. l. construitur, habere significationem *consulendi, consilium requirendi* & de consulendis non tantum oraculis & Magis, sed & de DEO adhiberi, ceu patet ex loco Isai. 8. 19. *Cum dixerint ad vos, אֵל דַּרְשׁוּ אֵלֶיךָ*

ILLUSTRIORUM ISAIAE LOCORUM

ואל הירעונים i.e. *Consulite Pythones* (ap. Pythones) & *Magos*, (tunc respondete) והיה ירשו i.e. *annon populus DEUM suum consulturus esset?* De quo loco vid. supr. Disp. nostra X. Ifai. ad l. c. conf. & Ifai. 19. 3. Deut. 18. 11. Observarunt hoc versiones *Piscatoris* & *Jun. Trem.* paulò ante citatæ. *Bootius* quoque in animadv. sacris l. c. laudat quidem hanc observationem; sed tamen mavult phrasin accipere, uti sumitur Deut. 12. 5. ubi censente ipso non significat *quærere*, sed *tendere, aut se conferre*, cum dicitur: *locum, quem elegerit Dominus DEUS vester*, וירשו i. e. *petitote* s. *ad eum tendite*: Et hunc sensum, dicit, expressisse *Musculum* & *Jun. Tremell.* ut & *Forerium*: *Musculus enim habet: quærent gentes ut ad eum veniant*, quod in Comment. h. l. p. 219. h. m. exponit: *quærent & contendent ad illud (signum) omnes gentes turmatim, ut in bello confluentes. Junius* verò ita: *ad eum gentes consultura venient. Forerius* denique sic: *spe quadam conceptâ conferent se ad illum pro consilio & auxilio*. Et licet Autores illi (pergit idem *Bootius*) diversas phræcos significationes confundant atq; in unum consent; genuinum tamen verbi sensum illos adumbrare. *Cui subscriberemus*, si l. c. Deut. 12. eadem phrasis quæ h. l. habetur; Cum verò ibid. verbum quæstionis absolute & sine præpositione אל construatur & præterea verbo illi וירשו immediatè hæc subjungantur: ונארה ושמע & *venies illuc*, nil obstat quo minùs significationem *consulendi*, vel *requirendi consulendo* præferamus. Interim tamen cum consulturi conferre se ad illum soleant, qui consulendus est, hinc non malè à citatis Autoribus *Musc. Jun. Trem. Forer.* (addo *Calvin.*) significationi *consulendi* additur alia *veniendi, concurrendi, confugiendi*, h. m. *ad illam gentes consultura occurrent*, vel: *ad illam gentes salutis* s. *consilii petendi gratiâ confugient*. Ad (2.) Resp. Cum tò requirere vel consulere quendam, *spem certam auxilii* præsupponat: Vel, uti *Calvinus* p. 112. & ex eò *Marloratus* in Comment. h. l. p. 109. loquuntur, *quærere DEUM in scripturis passim tantundem valeat ac omnes spes in illum suas conferre*, hinc Græci, quos sequitur Apostolus in allegatione loci Rom. 15. 12. verba quæstionis non malè verterunt per: ἐπ' αὐτῶν ἐλπίζουσ Luth. *auff den werden sie hoffen*. Quibus præmissis, responsio ad (3.) quoque est in promptu: scil. *quoad rem* his verbis prædici mirabilem *Radici Fischai, in signum populorum erecti* s. prædicationis Evangelii effectum, sc. *copiosam gentium conversionem ad Christum*. Conf. Rom. 15. 12. & Gen. 49. 10. ubi idem prædicatur de *Schilob*, cum dicitur: ורלו וקחה עמים i. e. *ipsi erit subactio populorum* s. ipse ferociores omnino populos, lupos, pardos, leones, ursas faciet mitiores suoque subiciet regno, simul-

simulque declarari proximè præcedentia, de *conubernio luporum cum agnis* v. 6. 7. 8. & de *implendâ cognitione Domini terrâ* v. 9. quod sc. illa non tantum de terra *Jhudæorum*, sed & de gentium orbe intelligenda.

S. 8. *Prædicatum* posterius sc. *summè gloriosam Radicis Fischai requiem*, Propheta his designat verbis: כָּכָר וְהִיטָה מְנַחְתּוֹ ה' e. *Et erit requies ejus gloria*. Ultimam vocem כָּכָר quæ aliàs substantivum est, significans *gloriam*, *superlativè* per: *summè gloriosam*, reddimus; utut alii præpositionem ל in, vel כ cum subaudiant q. d. in, *cum gloria*. Ebraei enim diversis graduum terminati-
onibus destituti, *superlativum* inter alia sic formant, ut abstractum pro *superla-
tivo* sumant. Sic Isai. 1. 7. אֶרֶץ אֲרָצְכֶם שְׂמָמָה terra vestra desolatio erit h. e. sum-
mè desolata. Sed isthæc h. l. non adeo disputantur. Princeps autem quæstio hîc
est de voce מְנַחְתּוֹ s. *requie ejus*, quid sc. per *gloriosissimam* hanc *requiem* signi-
ficetur? Hîc enim maximè variant Interpretû sententiæ. Vulgatus, & qui sequn-
tur eum, per *requiem* intelligunt *sepulchrum*, quod est *locus quietis* Isai. 14. 18. Ea-
dem non tantum *Hieronymi*, sed & aliorum Patrum fuit sententia. Nec alienus
ab illa est *B. Gerhardus* in Harm. Evang. c. 203. p. 2037. nec *B. Calovius* in Bibl.
illustr. h. l. illammet ceu *piam* omnino improbat. *Lyranus* addit rationem glo-
riæ, quia *Christus in novo monumento, linteis mundis & aromatibus pretiosis se-
pultus est & ex toto terrarum orbe ad sepulchrum ejus à fidelibus iisque magnis &
præclaris venerationis gratia concurrunt*. Sed videtur hîc sensus humilior, quàm
qui Spiritui Prophætæ satisfaciât: gloriosum enim sepulchrum & concursus ad
monumentum etiam *martyribus & minoribus* contingit, quod vel sepulchrum
Impostoris illius Muhammedis ostendit. Ceterum qui de sepulchro *requiem* ex-
ponunt, *Synecdochicè* illud accipiunt (ceu *Calvinus* & ex illo *Marloratus* in
Comment. h. l. monent) posteaque hoc ad *mortem* quoque *Christi* transferunt,
cum sepultura *Christi* accessio fuerit mortis, quæ *somnus & requies* dicitur Joh.
11. 11. Apoc. 14. 13. q. d. mors *Christi*, quæ coram mundo ignominiosa erat, gloriosa
in se & illustris erit, tum per subseq. miracula & resurrectionem, tum per virtu-
tem & efficaciam, Ebr. 2. 14. Cui sententiæ etiam *Försterus* subscribit in *Com-
ment. h. l. p. 268. B.* quoque *Lutherus* in *Comment. Psal. 3. T. 2. lat. p. 23. de
morte & sepultura* explicat: Dicit enim *conferendum esse cum hoc loco Psalmum
16. 9. caro mea requiescit in spe*; sed paulò aliter exponit. At verò alienæ à con-
textu hæ videntur sententiæ: nam de vocatione & confluxu gentium, item de
exaltatione *Christi* & regno ejus, in toto orbe per confluxum & conversionem
gentium glorioso & quieto Propheta h. l. agit, conf. Rom. 15. 12. Uti ergo *signum
populorum stans*, ita & *requies gloriosa* vi contextus respicit *vocationem gentium
conflu-*

ILLUSTRIORUM ISAIAE LOCORUM

confluentium. Adeoq; nimis prærupta hîc videtur mortis & sepultura mentio. Alii ergo, & pleriq; contextum & gentes ad Christum conversas respicientes, (ut *Sanctii Musculique* sententiam, quæ ap. illos in Commentariis h. l. videantur, præteream) per *requiem* intelligunt *Ecclesiam* populorum & gentium ad Christum conversorum, in qua gloriose is habitat: ut *quies* idem sit ac *habitatio* vel *locus quietis* ac *residence*, quomodo vox quæstionis מנוחה sumitur Mich. 2. 10. conf. & Deut. 12. 29. Ita *Cyrillus* p. 202. (qui tamen & de morte exponit) & *Calvinus* l. c. p. 112. dicens: *cum propius omnia expendo, Prophetæ per requiem Ecclesiâ significat, sicut & Ps. 132. 14. hæc requies mea sempiterna, hic habitabo* &c. cujus sententiam laudat *Marloratus* l. c. eamque dictis Joh. 14. 23. Matth. 18. 20. c. 28. ult. illustrat. Ita & *Piscator, Anglicani, Glassius Rhet. S. 1. 7. 132. Gesnerus* Comment. in h. l. *Calvinus* in Bibl. illustr. *Qwensted. Syst. Th. part. 3. p. 370.* & alii sentiunt. Alludi ergo videtur tum ad id, quod *Sion locus quietis* dicitur Ps. 132. 8. 14. tum ad id, quod *tabernaculum* & *templum* dicuntur plena fuisse gloria Exod. 11. 35. &c.

§. 9. *Ulus loci Didactico-Elencticus* conspicitur (1.) in quæstione *Anti-Judaica, an Jesus Nazarenus sit verus mundi Messias?* quam affirmamus. Illi enim optime competit (1.) *appellatio Radicis Jischai*, cujus varia acceptio supra §. 5. est explicata & hîc applicanda. Siquidem is est *Radix Jischai* (1.) *metaphoricè* & *active*, ratione divinitatis, quoniam is Jischai & Davidis totiusque familiæ Davidicæ *autor, causa & origo* est, ceu *Bernhardus* Serm. 1. in die Pasch. locum parallelum Apoc. 5. 5. exponit, dicens: *Non ait, David radix ejus, sed ipse radix Davidis, quia portat & non portatur. Merito, David sancte, filium tuum Dominum tuum vocas, quia non tu radicem portas, sed radix te.* Rom. 11. 18. Frustra ergo sunt *Anglicanæ annotationes* supra ab initio §. 5. citatæ, quæ negant *Christi ratione divinitatis dici hîc radicem Jischai*. Licet enim Christus v. 1. dicatur *surculus ex radicibus Jischai* & actu naturali humanitatis verè sit talis surculus & portetur; hoc tamen loco non dicitur radix ex Jischai, sed radix ^{est} Jischai: siquidem is non tantum actu personali radix Davidis & Jischai h. e. causa & origo ejus est, sed & actu naturali humanitatis juxta v. 1. ex stirpe Jischai, in trunco & ramis jam arescente, progressus, gloriosissimè illam stirpem Jischaianam florere fecit. Sed & (2.) *metonymice* & *passivè* ratione humanitatis est radix Jischai & Davidis h. e. *stirps* & *genus* Jischai ac Davidis, quia *filius* & *germen* est Davidis, ex eodem tanquam stirps ex radice vel ut radix è semine ortus. Hinc Apoc. 22. 16. *radix & genus Davidis* salutatur. Conf. genealogiæ Matt. 1. & Luc. 3. ut & sup. Disp. 18. §. 12. (3.) etiam *comparativè* ratione *prærogative* sic appellari potest, cum præcipuus sit ex stirpe & primogenitus ille Ps. 89. 28. adeoque radix & fundamen-

damentum totius familiæ Davidicæ Spiritualis. Nec minùs eidem (2.) competit *statio s. exaltatio in signum populorum*. Stetit ita tum in *exaltatione crucis* Joh. 3. 14. c. 12. 32. ubi nec gentes e. c. Centurio, defuerunt: tum præprimis in *exaltatione Majestatis* Phil. 2. 9. & *promulgatione Evangelii*, à tempore exaltationis Christi per univèrsum orbem facta Matt. 28. 19. Marc. 16. 15. Hæc enim congruit magis vaticinii complemento sc. confluxui gentium & summæ populorum promittitudini, Pf. 110. 3. prædicatæ, & ad *יום ה'ללו* s. *diem potentie ejus* h. e. exaltationis Christi allegatæ: id quod etiam LXX. versione loci, & Apostolus ad Rom. 15. 12. ejusdem allegatione, firmare videntur. Conf. supr. §. 6. Similiter eidem (3.) convenit *confluxus gentium consilia salutis petentium* Luc. 2. 32. Id quod Acta & Epistolæ Apostolorum satis superque ostendunt &c. Et (4.) *gloriosissima requies* ejus ex præced. §. jam innotuisse putatur.

§. 10. Deinde *usus* quoque loci datur in quæst. Antipapistica: *an homines ad fidem & religionem externâ vi ferri sint cogendi?* quam negamus: hic enim *Radix Fischai Christus stat in signum populorum*, quod ut sequantur gentes, non *vi ferri*, non militibus, non carceribus, more Papistico & Gallicano, coguntur; sed *vi verbi* h. e. prædicatione Evangelii, uti supra ostensum, inducti *requirunt* Christû, confluunt. Confirmat id complementû & praxis Apostolorum.

§. 11. Tandem *Abusus* loci deprehenditur ap. Pontificios, in quæst. *an Christi & Sanctorum reliquiæ religioso cultu sint prosequendæ?* quam illi affirmant? nam Bellarm. l. 2. de reliq. Sanct. c. 3. arg. 1. ita ex h. l. arguit: *Sepulchrum Christi b. l. dicitur gloriosum, E. ejus & sanctorum reliquiæ sunt adorandæ*. Sed Resp. (1.) negando majoris consequ. à gloria sc. ad adorationem s. supersticiosam venerationem & peregrinationem: non enim quæcunqve gloriosa sunt, statim adoranda erunt: nam & Ecclesia dicitur gloriosa Pf. 87. 3. Eph. 5. 27. quis verò illam statueret adorandam? Multò minus consequentia à sepulchro Christi ad quorumlibet aliorum à Papa canonizatorum reliquias valebit. Sed & (2.) negamus Minorem, quæ versione Vulgata nititur, de qua quid habendum & quomodo rectius vi contextus per *requiem* hic intelligatur *Ecclesia gentium*, ex supra dictis constat. Et si vel maximè de *sepulchro* Christi intelligatur requies, non tamen gloria sepulchri consisteret in supersticiosa linteorum sepulchralium veneratione &c. sed in fideli mortis & sepulturæ Christi commemoratione &c.

LOC. VI. & ULT. ISAI. XII. 3.

Fontes salutis, ex quibus aqua cum gaudio hauriuntur.

Hactenus beneficia DEI, per Messiam conferenda, capitibus aliquot, præprimis XI. Propheta tractavit. Jam digreditur capite XII. ad conclusionem,

ILLUSTRIORUM ISAIÆ LOCORUM

nem, quæ *gratiarum actionem pro beneficiis* sistit, unde & caput illud totum est Eucharisticum hymnumque continet Evangelicum, quo inter alia in Christum credituros v. 3. ad indefinitem gratiarum & consolationis copiam ducit & sic alloquitur: **וְשִׂאֲתֶם מִים כְּשֶׁשׁוֹן מִמַּעַיִן הַיְשׁוּעָה** i. e. *haurietis aquam cum gaudio, ex fontibus salutis.* Ad quem locum sequentia forent explicanda: 1. *aqua* 2. *fontes* 3. *salus* 4. *gaudium* 5. *modus hauriendi* 6. *haurientes.* Sed pagina, quæ restat, singula non comprehendens, contractionem hinc jubet.

§. 2. Ad quæst. quænam hinc *aqua* intelligantur *haurienda*? respondet quidem *Grotius*, (in præconcepta opinione de *Chiskia* persistens) *sensu literali per aquas ex fontibus salutis hauriendas, bona intelligi corporalia, Chiskia & Iudæis à DEO concessa; mystico autem sensu accipi posse de perfectissima doctrina, ut hic sumit Targum Jonathan, qui titulus Evangelio optimè convenit* (Targum enim sic habet: **הַקְּבִלוּן אֲרֻלָּן חֲרָה כְּהֲרֹא מִכְתִּיהִי צְרִיקָיָה** i. e. *accipietis doctrinam novam cum gaudio à selectis iustorum, quem & Maimonides in Moreh Nevorbim p. 1. c. 30. laudat*) Verùm quod per *aquas* has literali sensu, quæna Sp. S. intendit & Targum expressit, neutiquam corporalia sed spiritualia beneficia per Christum præstita intelligantur, ex præced. proximè vaticiniis clarescit, quorum conclusio est *Eucharistia* hoc cap. XII. contenta; quod vel inde probamus, quia dictum caput XII. per initialia hæc verba: *& dices in die illo ipso* (de quibus confer ad præced. locum §. 2.) ad tempora Christi diserte & notanter refertur. Ceterùm & Patres in explicatione aquarum nonnihil differunt. *Cyrillus* enim & *Hieronymus*, uti Targum, de aquis *doctrina Evangelica*, veram consolationem afferentis; *Origenes* & *Ambrosius* de aquis *Sacramentorum*, quibus abluiamur & reficimur; *Bernhardus* & alii de aquis consolationis, devotionis & donorum Sp. S. interpretantur. At verò in re ipsa minimè inter se pugnant: omnia enim hæc sunt subordinata, & omnes hæc aquæ ex fontibus Salvatoris hauriuntur & sunt *aqua salutis in vitam æternam salientes* Joh. 4. 14. &c.

§. 3. *Ufus loci* datur contra *Pontificios* & *Calvinianos*, qui doctrinâ suâ de *meritis sanctorum*, de *satisfactione* & *meritis operum* &c. de *absoluto electionis decreto*, de *merito Christi particulari ad electos spectante*, has salutiferæ consolationis aquas cum gaudio hauriendas intercipiunt vivosque Salvatoris fontes præcludunt; contra verò ad lacunas & cisternas, imo ad lacum, in quo non est aqua Zach. 9. 11. & ad barathrum desperationis abducunt. Pro fontibus ergo salutis patentibus Zach. 13. 1. quique; in nostris patent Ecclesiis, simulque pro laboribus patris primæ sic finitis, resonet capitis huius ultimi jubilum:

CELEBRATE DOMINUM! PSALLITE DOMINO!



DEC. IV. LOC. VI. ISAI.

damentum totius familiæ Davidicæ Spiritualis. Nec
pario f. exaltatio in signum populorum. Stetit ita tum
 14. c. 12. 32. ubi nec gentes e. c. Centurio, defuerunt:
one Majestatis Phil. 2.9. & promulgatione Evangelii, à
 fti per universum orbem facta Matt. 28. 19. Marc. 16. 15.
 gis vaticinii complemento sc. confluxui gentium & su
 tudini, Ps. 110. 3. prædicatæ, & ad **יום הילול** s. *diem pot*
 Christi allegatæ: id quod etiam LXX. versione loci, &
 ejusdem allegatione, firmare videntur. Conf. supr. §. 6
 venit *confluxus gentium consilia salutis petentium* Luc.
 pistolæ Apostolorum satis superque ostendunt &c. Et
 ejus expræced. §. jam innotuisse putatur.

§. 10. Deinde *us* quoque loci datur in quæst
nes ad fidem & religionem externâ vi ferri sint cogem
 enim *Radix Jischai Christus stat in signum populorum*
 tes, non *vi ferri*, non militibus, non carceribus, more
 guntur; sed *vi verbi* h. e. prædicatione Evangelii, uti su
qvirum Christû, confluunt. Confirmat id complemen

§. 11. Tandem *Abusus* loci deprehenditur ap
Christi & Sanctorum reliquæ religioso cultu sint profese
 mant? nam Bellarm. l. 2. de reliq. Sanct. c. 3. arg. 1. ita
Christi b. l. dicitur gloriosum, E. ejus & sanctorum reliq
 Resp. (1.) negando majoris conseq. à gloria sc. ad adoi
 venerationem & peregrinationem: non enim quæ cur
 adoranda erunt; nam & Ecclesia dicitur gloriosa Ps.
 illam statueret adorandam? Multò minus consequent
 quorumlibet aliorum à Papa canonizatorum reliquias
 mus Minorem, quæ versione Vulgata nititur, de qua qu
 do rectius vi contextus per *requiem* hic intelligatur
 dictis constat. Et si vel maximè de *sepulchro* Christi in
 men gloria sepulchri consisteret in superstitionosa linteoi
 ratione &c. sed in fideli mortis & sepulturæ Christi co

LOC. VI. & ULT. ISAI.

Fontes salutis, ex quibus aqua cum gaudi

Hactenus beneficia DEI, per Messiam conferenda
 primis XI. Propheta tractavit. Jam digreditur

) competit
ruis Joh. 3.
n exaltati
 onis Chri
 agruit ma
 m promti
 xaltationis
 Rom. 15. 12.
 m (3.) con
 Acta & E
na requies

an homi
 mus: hic
 antur gen
 licano, co
 ducti re
 stolorum.

quæst. *an*
 a illi affir
epulchrum
ndæ. Sed
 rstitiosam
 int, statim
 quis verò
 Christi ad
 (2.) nega
 & quomo
 , ex supra
 es, non ta
 ium vene
 e &c.

quovot, præ
 conclusio
 nem,

